

**Certamen Philelfianum I edizione 2017**

*Tema di versione nr. 1*

**Per studiare con profitto ci vuole ordine**

Ordo potissimum in studendum adhibendus erit, ne varios libros confuse legant (*scil.*: gli studenti), sed singulis lectionibus dispertitas horas haberi oportet: quae una res plurimum prodest et ad librorum varietatem, et ad rerum consummationem. Perturbatione vero, nihil non modo inutilius verum etiam deformius esse ex aliquis quoque rebus intelligi licet. Chorus ex multorum varietate conficitur, qui si prout cuiusque animus tulerit canere voluerint, inconcinna quaedam emergit et auribus iniucunda clamantium confusio; caeterum, cum suo quisque loco et tempore, ut institutum est, ita vocem emittit, ex multiplici sono grata quaedam et consona exultat harmonia. In exercitu quoque idem cernere licet, ubi si passim et neglecto ordine palantes evagentur milites et facilem hostibus victoram praebent et turpe quoddam oculis spectaculum offerunt. Contra, bene instructus exercitus et amicis spem, et hostibus terrorem incutit, cum equites, scutatos, sagittarios, funditores suo quemque loco procedentes ordinemque servantes intuentur. Quare non minus in litterariori studii ratione quam caeteris in rebus utilem hunc esse arbitremur ordinem. Nam nisi divisa fuerint lectionibus tempora, distrahitur multitudine librorum animus efficiturque ut, dum eodem tempore multa simul nobis videnda cogitatione complectimur, nullam in partem liberum sortiamur.

da BATTISTA GUARINI (Ferrara, 1434 ca.-1503 ca.), *De ordine docendi ac studendi* (1459 ca.)\*

\* Il *De ordine docendi ac studendi* si configura come un manuale di didattica con il quale Battista intendeva illustrare il metodo di insegnamento e di apprendimento delle discipline umanistiche adottato dal padre Guarino presso la sua celebre scuola di Ferrara.